



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

XII. Christus Primogenitus in multis Panibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

nam Hæreticorum, & Schismaticorum Sedes. Habent & alias portas, per quas stupratores, adulteri, fornicatores, plagiatores, fures, blasphemæ, omniūque ipsi criminum ingrediuntur. His principibus in adventu Domini nostri Iesu Christi, clamarum est à Spiritu Sancto, *Tollite portas, principes vestras.* Subdit de portis æternis per quas introibit Rex gloriæ cum omnibus suis. *Sunt portæ iustitiæ in auribus hominum posite, ad quas sermo fidei Catholice clamat, dicens, Aperite mihi portas iustitiæ. & ingressus in eas, confitebor Domino.* Ipse autem sermo, postquam introierit per aures in civitatem animæ, ostendit & portam vitæ æternæ, & dicit, *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.* Angustum sanè introitum in isto mundo habere, à Domino nostro Iesu Christo ostenditur, sed per viam eius angustissimam & arctam, ad latissimum vitæ æternæ introitum, asseritur qui ambulat, pervenire.]

CAPUT XII.

Christus primogenitus in multis fratribus.

HUNC Christi titulum, & Angelos & homines respicere, mox patebit, quamvis non nego, Christum esse spe. iali titulo *proximum nostrum*, iuxta illud Malachiæ ultimo, de Eliâ *converset cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres* Quod S. Augustinus 20. Civit. cap. 29. Legit in hunc modum, *converset cor Patris ad filium & cor hominis ad proximum suum.* Id est (inquit;) [Converset Eliâ cor hominis ad proximum suum quid melius intelligitur quam cor hominis ad hominem Christum? Cum enim sit in forma Dei, Deus noster, formam servii accipiens, esse dignatus est, etiam proximus noster.] Et lib. 1. de doctrina Christiana cap. 39. ad finem. Ipse Deus & Dominus noster, proximum se nostrum dici voluit. Nam & seipsum significat Dominus Iesus Christus, opitulatum esse semulivo iacenti in via, afflicto & relicto à latronibus. Et Propheta in oratione ait. *Sicut proximum, sicut fratrem nostrum, ita complacebam.*

Et Angeli & homines, filij Dei ac Christi fratres, Salvo Deiparæ unico parvi.

798 Tamen fraternitas, fundata non in humanitate, sed in gratiæ societate, tanquam naturæ supernaturalis ab vno Patre Spirituum omnium Deo acceptæ non hominibus tantum, sed & Angelis cum Christo intercedit. Eaque propriè ratione, Christus frater noster est, quod diligenter probat S. Cyrillus lib. 2. Pentabibli. cap. 2. refellens Nestorium, qui Christum nobis duntaxat fratrem fuisse dixerat, ratione Eiusdem humanæ naturæ, in illo & in nobis. Sic autem post multa concludit S. Cyrillus. [Non igitur hoc ipsum quod filio conformamur in sola intelligitur carnis humanitatisve natura,

sed alio quoque modo: Idque nobis declarat Beatus Paulus cum dicit: Et sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem celestis. Terreni videlicet imaginem illam primi parentis Adam, celestis autem, illam Christi intelligens. Quamnam est igitur prior illa primi parentis imaginem? Facilitas illa ad peccandum, hoc ipsum quod morti corruptionique sumus obnoxij. Quæ rursus illa celestis nullo modo cedere vitis, non nosse delinquere, non esse morti & corruptioni subiectum, sanctificatio, iustitia, & his affinita atque similia. Sed hæc mea sententia possidere diuinæ convenit immortalitatis naturæ. Est enim illa peccato atque corruptione superior, sanctificatio item & iustitia. Ad hæc autem nos etiam attollit ipsum Dei Patris Verbum, dum lux diuinæ naturæ per Spiritum participes efficit. Habet ergo fratres sibi similes, & diuinæ suæ naturæ portantes imaginem, quod ad sanctificationis modum attinet. Sic namque Christus formatur in nobis, dum Spiritus sanctus nos ab humanis ad sua propria quodammodo transformat. Hæc ratione nos quoque Beatus Paulus est alloratus: Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu. Nihil ergo proflus è creatis rebus ad lux diuinitatis naturam filius transtulit, id enim est impossibile: sed imprimitur quodammodo in his qui diuinæ eius naturæ sunt facti participes, dum Spiritus sancti consortes fiunt illa spiritualis eius similitudo, & ineffabilis illa diuinitatis species in sanctorum virorum animis fulget.] Hinc vides fraternitatem cum Christo, esse hominibus & Angelis communem. Id quod etiam rectè assertit. Claudius Espencerus de genti. 26. in 2. Timoth. ex Nysseno lib. de vita Moysi, qui Angelum custodem, vocat nostrum Antonem, & fratrem natu maiorem. Ea igitur fraternitas, hoc loco explicanda est, exposita prærogatiua primogeniti in multis illis fratribus.

Sed alegandus in primis est, horribilis filius Heluidij apud S. Hieronymum, & aliorum quorundam Hæreticorum apud S. Athanasium, nuper edita Oratione de censu Augusti, qui vocem *primogeniti* Christo tributam, blasphemè traxerunt ad Virginis Deiparæ integritatem violandam; affirmantes, alios post Christum ex ea editos liberos communione respectu quorum Christus dicatur primogenitus. Sed exclamat S. Athanasius. [Apagè abscondas nugas; Immaculatum penitus permansit Virgineum & gloriosum illud cœlium: non colutum fuit secundum illud cœlum: vas illud, quod Deum altissimum continuit, à nemine fuit prophanatum. Dominus primogenitus ex Virgine appellatur; & rectè quidem ita appellatur: non quod secundum aliquem eiusdem generis adsciverit: sed quod primogenitus, id est eximius & incomparabilis extiterit. Neque enim quia Beatus Paulus de æterna Domini naturalitate ex Patre dicit; *Qui est primogenitus omni creaturæ*; idcirco & fratrem naturalem Domino adscribit. Rursusque idem Paulus, ubi eundem Dominum *primogenitum ex mortuis* appellat, non etiam similem aliquem Domino introducit, qui inferos ita ut ipse conculcarit. Quapropter prudentes hæc audias, & pie credas: Dominus primogenitus est ex mortuis, & ex Patre, & ex Virgine, vt per omnia vnica filiationis

maiestas cognoscatur.] Et post alia pleraque. [Propter eximiam igitur, & incomparabilem excellentiam, *1. s. v. s. primogenitus* dicitur. Simplicius diceretur à Luca quidem, Christum dici filium Virginis primogenitum, quia verè primus natus est, etiam si alius non sit subsecutus. Ab Apostolo autem dici Christum primogenitum in multis fratribus, quia Christus multos habet fratres gratia & adoptione, etiam si non natura; unde denominatio primogeniti in multis fratribus. Quo pacto de Christo primogenito philosophatur Rupertus lib. 9. in Genes. in c. 8. declarans qua ratione Ioseph è carcere ereptus, sit fortitus decus primogeniti inter filios Iacob.

Christus Deus homo, primogenitus filiorum Dei.

799 Iuxta hæc, titulus primogeniti in multis fratribus, Christo Deo & homini competit, estque insignis eius prerogativa ut optime philosophatur Autor serm. de As. apud Cypr. Quantum enim est, titulus fratris Christi in quo omnis excellentia plenitudo & sufficientia inest, conferri à substantia & naturali filio, filijs adoptiuis? Rursusque inferius. [Et hoc gloria Christi vni- geniti dilecti accumulatur, quod beatitudinis suæ non patitur esse solitariam magnitudinem. sed addit fratres: non qui minuunt quasi diuinitatem eius, exornant; participes & consortes.] Huic de doctrina Christi Dei & hominis primogenitura, subscripsit disertè S. August. lib. contra Secundinum c. 1. Verbis illis. [Cum & vnigenitum, & primogenitum diuina testentur eloquia, vnigenitum, quia sine fratribus; primo- genitum, quia cum fratribus: non inuenies quo modo vtrumque de illo secundum eandem naturam diuinitatis intelligas. Fides verò Catholica, quæ inter creatorem creaturamque distinguit nullam patitur in his duobus nominibus intelligendi difficultatem; vnigenitum eum accipiens secundum id quod scriptum est, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Primogenitum autem vniuersæ creaturæ, secundum id quod Apostolus ait, *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*, quos ei Pater ad fraternam societatem, non æqualitate substantiæ, sed adoptione gratiæ generauit.] Et mox [Vnico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; ut apud se vnigenitum, ad nos primogenitum faceret. Ex illo igitur quod vnigenitus est, non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est. Ex illo autem quod primogenitus in Ecclesia fratribus factus est, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.] Adhæsit Augustino Conc. Tol. 1. in Professione fidei verbis illis. [Hic qui ante secula vnigenitus est vocatus, temporaliter primogenitus factus est. Vnigenitus propter diuinitatis substantiam, primogenitus propter assumptam carnis naturam,] quia scilicet in ea natura, gratia diuinitus indulta, participes habuit homines & Angelos. Idem dicitur habetur apud Athanas. Dialo. 3. de Trin. & Orat. 3. contra Arrian. in fine. latè omninò ac benè id prosequitur Nyssenus orat. 1. (verius 2.) in Eunom. c. 8. iuxta Græcam periochum, & orat. 3. (verius 4.) c. 3.

Theoph. Raynaldi de Attrib. Christi.

Quomodo primogenitus, si Vnigenitus.

800 Difficultatem porro facit circa hunc Christi titulum, quod collidi videatur cum altero superius expenso sect. 2. cap. 1. vbi ostensum est, Christum esse vnigenitum. Atqui notio Vnigeniti (vt censuisse Marcellum, refert Eusebius lib. 1. contra eum cap. 4.) excludere videtur rationem primogeniti in multis fratribus. Nam qui vnigenitus est, fratribus caret, quos necessariò habet qui est primogenitus in multis fratribus. Versat sæpè hanc difficultatem S. Cyrillus vt lib. de Incarnatione Vnigeniti c. 26. & lib. 4. Dialogorum de Trinitate ante medium, & plenè lib. 10. Theauri c. 4. vbi sic concludit. [Vnigenitus igitur est, quia solus ex patre nascitur, & solus Dei filius naturaliter est: primogenitus verò, non simpliciter, sed in multis scribitur fratribus. Quando igitur natura ipse Deus, homine assumpto frater factus est noster, tunc etiam primogenitus factus est in multis fratribus; quia multos filios Dei per gratiam effecit. Primogenitus ergo vocatur, non quia tempore præcessit, nec quia eiusdem ipse, in quantum Dei Verbum, cum creatoris essentia est; sed quia in ipso primo deificati sumus: Ideò vnigenitus nulla causa addita simpliciter appellatur, quia solus vt verè filius in sinu Patris est. Primogenitus verò ita dicitur, vt & causa, & quorum est primus, statim asseratur. *Primogenitus enim*, (inquit, *in multis fratribus*, & *primogenitus ex mortuis*. Nam cum ipse natura increatus sit, & omnium Dominus atque creator, creatura etiam factus, primus inuenitur inter omnes homines quos assumpta humana natura reformauit.]

Vides nomen filij Dei, esse analogum proportionis; & vni tantum analogato competere filiationem diuinam naturalem; filiationem autem diuinam ex Adoptione, iustis reliquis ascribendam. Vnde quia & Christus, & iusti omnes, sunt filij eiusdem Patris, tamen si longè dispari & inæquali modo; propterea Christus dicitur primogenitus, ad cuius exemplum, Deus homines in filios sibi adoptare dignatus est, ait Hilarius Diaconus Roman. 8. Atque ita Christus simul est Vnigenitus, & Primogenitus inter filios Dei. Scitè ex Methodio idem exponit Nyssenus in quæst. de imagine sic philosophatus de tribus primis hominibus. [An verò etiam hæc tria primorum parentum capita totius humanæ naturæ, personæ consubstantialis ad imaginem quandam, vt Methodio visum est, sanctæ & consubstantialis Trinitatis figuratè sunt factæ? Sic vt Adamus quidem, qui sine causa & ingenuus est, figuram & imaginem gerat eius, qui causam & principium non habet, estque omnium causa, omnipotentis scilicet Dei & Patris. Filius autem qui genitus est, geniti filij ac Dei Verbi delineat imaginem & adumbrat. Eva demum, quæ in lucem procedendo sit edita, Spiritus sancti personam ex processione ortam designat. Quamobrem neque vitæ statum in eam Deus insufflauit, quod S. Spiritus status vitæque figura esset ipsa, quodque per Spiritum sanctum, Deum qui omnium verè Spiritus est & vita, esset exceptura. Vnde intueri licet ac mirari, quod Adam quidem, qui genitus non erat, alium inter homines simile nō habuerit, qui ingenuus esset, aut sine principio:

E E e

vt

ut neque Eva quæ ex processione orta erat, utpote qui veræ figuræ Patris, ingeniti & Spiritus sancti essent: filius autem qui genitus erat, omnes homines, qui geniti filij erant, similes fratres habuerit: ut qui ad imaginem & similitudinem typicam essent Christi geniti filij, qui factus est homo primogenitus sine semine in multis fratribus.]

Iusti omnes, filij Dei, fratres Christi.

801 Iusti ergo omnes, vocantur fratres Christi. *Maximum inter fratres* intelligit Hæschius Christum, perillustri loco in cap. 21. *Leuit.* Ante Incarnationem quidem fratres Verbi erant, sed respectu Patris tantum. At post Incarnationem, respectu etiam matris. Concinne id habet Ioannes Hierosol. lib. de institut. Monachorum cap. 35. [Quemadmodum Helias præceperat (inquit) ita ascendit tunc cæcus Discipulorum eius, per orationem ad Achab: qui *fraternitas paternitatis*, interpretatur. Significat enim Dei filium, inter quem & genus humanum, antequam ipse incarnaretur, erat fraternitas tantum paternitatis: quia, à quo Patre fuit Dei filius æternaliter genitus, ab eodem Patre fuit creatum humanum genus; ita ut Dei filius, non confundatur Patrem suum, appellare patrem eorum dicens; *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum.* Sed quia inter genus humanum & Dei filium, antequam ipse incarnaretur non erat fraternitas paternitatis, quoniam Dei filius nondum erat ex Matre natus; ideo optans cæcus Discipulorum Helias, ut hæc fraternitas inter eos fieret, ascendit per orationem ad Achab (idest ad Dei filium.) Et sicut Helias præceperat, ita, suppliciter, Dei filio dicebat; *Iunge currum tuum.*]

Nunc post Incarnationem, completam cum Christo fraternitatem, sortiuntur iusti omnes. Et quamquam S. Gregorius necessitate continuandæ allegoriæ adactus lib. 4. in 1. Regum cap. 10. ad illud. *Ait Saul ad patrimum suum*, eos tantum fratribus Christi annumerat, qui magnis meritis, Christo in virum perfectum occurrunt, ceteros tamen iustos tantum Christi filios, non fratres nominans; tamen Scriptura passim omnes planè iustos Christi fratres & cohæredes agnoscit. Nec S. Gregorius alibi inficiatur, & merito. [Etenim ait S. Fulgentius lib. 3. ad Trasim. cap. 4.] In filiis Dei, qui non de Dei patris natura subsistunt, adoptivæ communio dignitatis, diversitatem munerum potest habere, non nominum. Et adoptantis gratia, cunctis ex Deo nascentibus, quamvis diversæ retributionis munus pro laboris merito repromittat, vnum tamen cunctis filiorum nomen accommodat. [Et mox. [Æqualiter igitur tenebit cunctos Dei filios, vnigenitus adoptivi nominis, licet meritorum qualitatem monstratura sit differentia claritatis. Nec in eo, quod spirituales esse cœpimus natiuitatis exortu, discernimus nomine, quamvis ex profectu sumus discernendi mercede. In eo namque, quod voluntariè genuit nos verbo veritatis, pariter filios nuncupavit gratia genitoris.] Ex Rabbini eam Christi cum hominibus fraternitatem fusè illustrat Galatius lib. 3. de Arcanis cap. 28. statuo autem huius fraternitatis fundamentum, gratiam sanctificantem, non autem humanitatis cum Christo simi-

litudinem, ut velle videtur Autor sermonis de Natiuitate Christi apud Cyprianum, quia alioqui hæc fraternitas non esset supernaturalis qualem constat eam esse.

Adoptio diuina, filios Dei, fratres Christi constituit, uens, cuius modi.

802 Ut autem huius Christi primogenituræ in multis fratribus, natura & ratio exequine perspicatur, inquirendum est in diuinam adoptionem, ratione cuius Christus habet fratres, atque adeo dicitur *primogenitus in multis fratribus.* Adoptionis diuinæ nomen, *filium* adiectiuum vocat Nyssen Orat. 2. (imo 3.) contra Eunom. & sic explicat. [In utroque sensu, filij voce ut nouit diuina Scriptura; quibuldam verò adiectitia & aduentitia sit talis appellatio. Cum enim filios hominum dicit, & filios arietum, relationem que est secundum essentiam geniti, cum eo qui genuit significat. Cum verò filios potentia vel Dei filios dicit, propinquitatem quæ arbitrij libera voluntate & electione fit ostendit. Quinetiā contrario sensu, iude & filij Heli, & filij Belial nominati sunt, ad utramque notionem, filiorum appellatione congruenter conueniente. Quod enim filij Heli vocati sunt, quod secundum naturam cognatum est, cum illo habere perhibiti sunt. Belial verò filij nominati, ob electionis siue instituti prauitatem accusati sunt, utpote Patrem in vitæ ratione non æmulantes, sed peccato suum consilium & vitæ institutum applicantes. In natura igitur infirma, atque his rebus nostris, quia quod humanum est habet ad virtutem, (ad virtutem dico & virtutem,) æqualem propensionem nobis est, vel noctis vel diei filios fieri marcente nihilominus secundum id quod præcipuum est in propriis terminis natura. Neque enim ille qui propter vitium, ita filius factus est ab humana generatione alienatus est, neque is qui per electionem seipsum bono familiarum adiunxit, per vrbinitatem & honestam morum conformationem, ex hominibus natus esse dici desit, sed natura in virtute stante, secundum electiones, & vitæ instituta, differentia nominis propinquitatis siue necessitudinis induunt; vel ut Dei filij per virtutem, vel contrarij per vitium fiant.] Sed quomodo per virtutem filij Dei adoptiui, exponendum superest.

Adoptionis ergo nomen, translatum est ab humano vsu, iuxta quem persona ex vi originis non habens ius ad hereditatem, & extranea adoptanti, in gradu saltem in quo adoptatur, (alioqui enim non adoptaretur,) gratuito acceptatur ad eam, per vmbatile propinquitatis nomen iis inscriptum, quos sibi quasi filios, imaginarij parentes faciunt, ut in locum eorum quæ non sunt pignorum, voluntate generate succedant. Dedi fere Saluiani verba sub initium libri tertij ad Ecclesiam: consonatque Paulinus, cuius illa sunt non multum ab initio Sacrosylabi [Adoptiuus dici non potest, nisi is qui alienus est ab eo à quo dicitur adoptatus; & gratis ei adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio præstat. Varium olim modum huius adoptionis faciendæ, profert Pitheus lib. 1. subsec. cap. 1. Romani ex formula apud populum & prætorum id præstabant. Plerique posteriores, ut

arma filios sibi afflicebant, vt Iustinianus patrem Athalarici adoptauit filium & Theodoricus Regem Herulorum vt videre est apud Cassiodorum libro quarto & octauo, vbi etiam de Gensimundo, gentis Gothicae per arma filios sed his adoptiuis ad successionem aspirare non licuisse, docet narratio de Cabade; adoptionem Chosrois per Iustinum affectante, apud Procopium lib. 1. belli Persici. Erat adoptio alia per capillos aut comae praecisionem: Qui enim comam alicui totondisset, eius fiebat adoptione parens. Exemplum luculentum habet Paulus Diaconus lib. 6. c. 53. agens de Carolo Francorum Principe, qui filium suum direxit ad Luitprandum, vt ei filium faceret capillorum praecisione. Constantinum vero Pogonatum, filiorum suorum mallones idest Cirros capillorum, ad Benedictum Secundum Papam direxisse, vt eos ille filios agnosceret, scribit Anastasius in Benedicto. Additque in praefatione historica ad octauam Synodum Regem Bulgarorum, capillos fibimet abscidisse; & legatis Romani Pontificis praebuisse, quo se filium Romanae Ecclesiae profiteretur. Tandem filiationis per baptismum illustre exemplum est apud S. Nicephorum in historia de Heraclio filium suum Crispo adoptandum, in baptismo, dante. Procopius initio historiae arcae de Theodosio per Belisarium, & Antoninam adoptato meminit interuentu baptismi. Nimirum baptismus solemnissimus, (non enim priuatim collatus vt notat Sanchez lib. 7. de Matrimonio d. 62. num. 14.) cognationem baptizati & susceptoris tanquam patris & filij ingenerat, vt bellè tradit Nicolaus Papa ad consula Bulgarorum cap. 2. & 18. & ex variis Patribus Coccius Tomo 2. lib. 5. art. 12. Viccomes lib. 1. de Baptismo ad cap. 3. Durandus 1. de ritibus cap. 19. num. 16. & 17. Hunc adoptionis modum qui propè exoleuerat, renouauit Leo imperator Nouella 24. Ex iure Romano, & receptis eius formulis, quae ad huiusmodi transitum in alienam familiam exigantur, exponit fusè Molina Tract. 2. de Iustitia d. 217. Quia ergo Deus ex mera sua misericordia diligit creaturas aliquas rationales, assumitque in filios, indendo eis similitudinem suam, & aliqualem diuinitatis suae participationem, vnique eis confert ius aeternae hereditatis, quo vi suae originis ac naturae non poterant; merito dicitur aliquos adoptare.

803 Non me latet, aliter de forma hanc filiationem homini conferente, philosophatum Lessium lib. 12. de diuinis perfectionibus cap. 11. existimantem id esse tribuendum collationi Spiritus S. quia quia existimat separari posse ab infusione gratiae sanctificantis, addit libro 13. eiusdem operis num. 198. hominem de potentia absoluta, posse habere gratiam, nec tamen constitui filium Dei adoptiuum. Sed ea sententia multipliciter displicet. Neque enim verum esse potest, hominem constitui filium per collationem Spiritus sancti; cum Spiritus sanctus nō sit filius; praestaret sanè cum Oecumenio ad illud 1. Ioan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, filiationem Dei adoptiuam statuere in morali Christi filij inexistencia, intra vnumquemque iustum. Sicut ob proportionalem causam, filij adoptiui diaboli, sunt quibus diabolus moraliter inexistit, viuens & operans in eis, siue per eos. Cum ergo Christus sit filius, non Spiritus*
Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.

sanctus, rectius communicatio & inexistencia Christi moralis, diceretur hominem constituere filium, quam communicatio Spiritus sancti. Præterquam quod collatio gratiae (quantum existimo,) habet essentialiter adiunctam Spiritus sancti collationem: vt proinde adoptio non sit separabilis à gratiae collatione, etiam supposita ea sententia. Itaque praestat cum communissima opinione, admittere creaturam intellectualem adoptari & accipere diuinam filiationem, interuentu gratiae, tanquam formae; quae est aliquatenus natura diuina: ac proinde Deus eam nobis suae diuinitatis participationem conferendo, rectè dicitur communicare nobis, (provi capaces sumus,) diuinum esse, & filios suos nos constituere, quia ea est aliqualis processio viuents à viuente, quae est generationis notio. Vnde in Scripturis, iusti dicuntur ex Deo nasci, praesertim apud Ioannem in fronte Euangelij, & in Epistolis, de quo infra plenè, agendo de Christo Patre. Quia tamen ea generatio non est participatio ipsius substantiae Dei; nec reuera ab eo procedimus vt viuente, sed vt volente, iuxta Caietani distinctionem, propterea adoptiui filij dicimur: & Deus non tã generate nos dicitur, in rigore loquendo, quam adoptare. Quod in hac re, aptius ac verius contingit, quam in humanis, vbi adoptio passiuæ, est mera denominatio extrinseca, absque interna formae vllius inhaerentis infusione: at in diuina adoptione, inditur forma filiationem conferens; gratia nimirum sanctificans quae hominem formaliter constituit filium adoptiuum, cūque diuina similitudine honestat, & iure ad patris hereditatem donat. Vnde tamen nomen *adoptionis* prius usurpatum est in humanis, indeque est ad diuinam hanc in nos beneuolentiam designandam translatum, vt Durandus rectè notauit in 3. dist. 10. quaest. 2. num. 6. tamen magis propriè locum habet in diuina adoptione.

Sumus iam nunc adoptioni filij Dei.

804 Ex dictis non modò exposita, sed etiam comprobata sufficienter manet nostra in Dei filios adoptio. Firmiter ex Scripturis diuinam hanc adoptionem S. Augustinus l. 3. contra Faustum cap. 3. Congruentiam eius optimam attigit S. Bernardus serm. 1. in Octaua Paschae initio verbis illis. [Postquam vnigenitus Dei non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, hominis quoque dignatus est fieri filius, & habitum inuentus vt homo, non immeritò iam de cœlesti generatione exiguitas humana praesumit. Neque cum indignum est Deo, eorum fieri patrem, quorum se Christus fecerit fratrem. Hinc est quod Beatus Ioannes (qui sæpius nobis ac studiosius hanc commendat adoptionem filiorum Dei.) in ipso quoque Euangelij principio, *Quisquis (inquit,) receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.*] Apud eundem Autor q. ex utroque mixtim, in 125. perpulchrè in eandem sententiam disserit; monstratque præter cœtera, cur qui adoptantur in seculo, nuda appellatione sint filij, Deus autem quos adoptat, & Christo fratres constituit, verè filios aliquatenus efficiat, communicatione Spiritus sui.

Neque verò actualement (vt sic dicam,) & iam nunc praesentem adoptionem filiorum Dei, inficiatur
E E e 2

ficiatur D. Augustinus in Psalm. 84. ad illud, *salutare tuum da nobis*, cum sic ait. [Hominibus hominem dedit, quia talem illum hominibus dedit, qualis posset capi ab hominibus. Deum enim Christum nullus hominum capere poterat, factus est hominibus homo, seruauit se Deum Diis. An forte arroganter dixi? Reuera arroganter, nisi ipse dixisset: *Ego dixi Dy estis, & filij altissimi omnes*. Ad hanc ipsam adoptionem renouamur, ut efficiamur filij Dei iam quidem sumus, sed per fidem. Sumus quidem, sed in spe, nondum sumus in re. *Spe enim salui facti sumus*, sicut dicit Apostolus.] His inquam verbis D. Augustinus non inficiatur adoptionem nostram, & filiationem Dei adoptiuam, iam ex hac vita: sed tantum negat perfectam illam similitudinem cum Deo, quam assequemur cum videbimus eum sicuti est, ut intelligitur ex his proximè sequentibus verbis. [Ioannes in Epistola sua quid ait? *Dilectissimi, filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus*. Quis non exulteret, si subito nescio cui peregrinanti & ignorant genitum suum, patienti aliquam egestatem & erumnam & in labore constituto diceretur, Filius Senatoris es, pater tuus amplo patrimonio gaudet in re vera; reuoco te ad patrem tuum. Quali gaudio exulteret, si hoc non fallax promissor diceret? Venit ergo non fallax Apostolus Christi, & ait: Quid est quod de vobis de spectis? Quid est quod vos affligitis, & moerore conteritis? Quid est quod concupiscentias vestras sequendo, in egestate istarum voluptatum conteritis? Habetis patrem, habetis patriam, habetis patrimonium. Quis est esse pater? *Dilectissimi, Filij Dei sumus*. Quare ergo nondum videmus Patrem nostrum? Quia nondum apparuit quid erimus. Iam sumus, sed in spe; Nam quod erimus, nondum apparuit. Et qui erimus? *Scimus*, inquit, *quia cum apparuerit, similes erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*.]

Hunc vnum fuisse finem aduentus Christi, ut homines filios Dei faceret, docent sæpe Patres. Multos produxi supra, cum de sine aduētus Christi. Nunc adducere sufficiet Dium Augustinum, qui de sublimitate adoptiuæ huius filiationis, deque firmata per Incarnationem fide nostra, ne circa tam sublime promissum vacillaremus, splendide omnino disserit serm. 8. ex 40. nouis, tractans illud *dedit eis potestatem filio Dei fieri*, ad quod sic exclamat. [Erige cor genus humanum, respira in aura vitæ, & securissimæ libertatis. Quid audis? quid tibi promittitur? *Dedit eis potestatem*. Quam potestatem? An forte vnde instantur homines, iudicandi de capitibus humanis, ferendi sententias de innocentibus & nocentibus? *Potestatem* (inquit,) *dedit eis filios Dei fieri*. Iam enim non erant filij, & sunt filij: quia ille per quem sunt filij Dei, iam erat filius Dei & factus est filius hominis. Iam ergo & illi erant filij hominum, & facti sunt filij Dei. Descendit ad id quod non erat, quia aliud erat. Erige ergo spem. Magnum est quod tibi promissum est, & incredibile videtur, & quasi non posse æstimatur, filios hominum fieri filios Dei. Sed plus pro illis factum est, quia filius Dei factus est filius hominis. Erige ergo spem o homo; pelle à corde infidelitatem, incredibilis iam pro te factum est, quam quod tibi promissum est. Miraris si homo habeat vitam æternam. Miraris si homo perueniat ad vi-

tam æternam. Mirare potius, quod Deus pro te perueniat ad mortem. Quid dubitas de promissis, tanto pignore accepto? Vide ergo quomodo te confirmat, quomodo promissionem Dei roborat. *Quæquid*, (inquit) *recepimus eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Qua generatione? Non illa vstrata, non veteri, non transitoria, vel carnali. *Non ex carne*, (inquit,) *non ex sanguine, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Miraris non credis? *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*.]

Etiam ante Christum, iusti in Dei filios adoptati, ut & nunc, iusti reprobi.

805 Canensis autem quia audisti filium Dei venisse, ut homines faceret Dei filios, & celo inferret, ac hæreditatis paternæ faceret particeps, arbitreris vel eos qui aduentum Christi antecesserunt, caruisse plenè & perfectè hæc filiatione, quod dixit Soto in 4. dist. 2. quest. 1. art. 4. in 6. & 7. *excellentiæ legis gratia*, vel eam reprobis iustis non obtingere, ut censuit Gabriel in 3. distinct. 10. vel Angelos eadem delictui. Nam quod attinet ad antiquos, certum est eos fuisse hæc filiatione exornatos. Accipiebant enim gratiam sanctificantem eiusdem cum nostra speciei, & eatenus adoptabantur in Dei filios: quam esse omnium Catholicorum sententiam affirmat Henricus lib. 1. summæ cap. 15. num. 8. *Littera. G.* adducens plures. Nec dissident reuera nonnulli Patres quos pro contrario placito profert Leo Castrus in illud Elie. *filios enutriui*; non enim simpliciter negare volunt, antiquos iustos fuisse Dei filios adoptiuos, sed tantum intendunt affirmare, eos non fuisse factos filios vi legis veris; quia vi eius non conferebatur sanctitas. Vel certe volunt affirmare eos adoptionis decus commaculasse sceleribus, ut est apud Ildorum Pelusiorum Epist. nota 197. Adde quod vt S. Chrysostomus Ioan. 1. vtramque hanc adoptionem conferens egregie disserit, antiqui sub lege constituti, reipsa filij erant, sed Spiritu serui, & serui Spiritu intimore ducebantur. Et quamvis essent Domini omnium, quippe hæcædes, tamen cum essent paruuli, vt S. Paulus in hanc ipsam sententiam ratioeinatur, nihil à seruis differebant, nec dum admittebantur ad potiendum hæcæditate, nondum propalata sanctorum via.

Sicut ergo nos, etiam si sumus verè filij adoptiu, tamen quamdiu hæc exules peregrinamus, dicimur expectare adoptionem filiorum, & corporis nostri redemptionem, ut est apud Apostolum Roman. 8. Ita veteres iusti, quamdiu excludabantur aditione hæcæditatis, & exteriori tractatione habebantur vt serui, dicuntur interdum adoptione caruisse; de quo planè & luculenter Toletus in cap. 1. Ioan. annot. 35. Henricus lib. 1. summæ cap. 15. num. 7. & 8. & Suarez 10. de legibus cap. 8. à num. 4. Eoque spectat quod S. Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 8. obseruat, Deum non iussisse Iudæis, vt illum appellarent Patrem. Itemque spectat eo, quod Christus venisse dicitur, vt adoptionem filiorum reciperemus. Et Rom. 8. *accipistis spiritum adoptionis*. In quæ verba Chrysostomus hom. 9. [Quomodo litteræ seruimus, et aut

erant litteræ: Omnem vitæ illorum formam profero, ac tum demum id aperte intelliges. Etenim supplicia illos e vestigio excipiant, & merces statim sequebatur mensuram suam habens quotidiani frumenti citu famalis admensi ac traditi; & magnus undique timor ob oculos vigens, & circa corpora purgationes, & intra actiones continentia. Apud nos verò non ita, sed cogitatio, & conscientia expurgatur. Neque enim dicit Deus, *ne occidas tantum*; sed *ne nascaris*. Neque *mœcheris*; sed *ne afficias lascivie*, ut ne amplius videlicet ob præsentaneæ pœnæ timorem, sed ob ipsius amorem, tum virtutis habitus, tum reliqua officia, ac recte facta in nobis exsistant. Neque promittit terram mellem lacteque affluentem, sed Unigenito coheredes efficit, à rebus nos præsentibus modis omnibus arcens, tum illa potissimum daturum se pollicitus, quæ illæ capere oportet qui filij Dei effecti fuerint; sensibile quidem ac corporale nihil, verum spiritusalia omnia. Quamobrem illi quidem, quantum filij vocabantur, tamen anquam servi; nos autem ut liberi facti, adoptionem accepimus, tum verò cælum expectamus. Adde his, quod cum illis verba per alios ficit, nobiscum autem per seipsum. Illi pœnæ formidine adducti omnia agebant, hi autem Spiritus desiderio & amore. Et ipsum hoc argumentum est, quod iussu prætergredierentur illi, ut mercenarii & ingrati, nunquam non murmurantes, hi autem quod spiritui placeant. Atque illi quidem vel beneficiis dum afficerentur, blasphemabant; nos autem vel inter ipsa pericula, gratias agimus; atque adeo si de delinquentium pœna ratio incunda est, & hæc quoque discrimen ingens. Neque enim ut ille lapidati, vili, manus pedesque à sacerdotibus truncati; sic & nos conuertimur: sed sufficit à paterna mensa eiectos, & à conspectu, certum dictum numerum submotos esse. Iam & apud Iudeos verbi honores erat adoptio tantum: hæc autem & res consecuta est: nempe per baptismum purgatio, spiritus datio, aliorum bonorum suppletio: quibus ipsis alia plura afferri possunt, ex iis quæ nostram nobilitatem, illorum, autem, tenuitatem arguunt.

Alias verò, antiqui dicuntur à Patribus fuisse filij, sed quatenus iam tunc Christiani: quia scilicet gratia qua filij efficiebantur, dabatur eis per Christum. Loquitur plerumque ad eum modum S. Augustinus ut i. Retractat. c. 13. & lib. 3. contra duas Epistolas cap. 4. & lib. 1. de peccato, meritis c. 11. & 31. & scilicet. 109. de diversis. Origenes optime hom. 26. in Iohes in fine, Iustinus Apol. 1. agens de Socrate. Eusebius lib. 1. histor. cap. 1. Plenè Agobardus ad questionem ultimam Fredegisi Rupertus scilicet omnino, vocat Cathecumenos lib. 5. in Genes. c. 33. nempe quia nondum erant epoptæ, nec ad Sacra intima & Dei conspectum admittentur. Quæ omnia non obstant, quominus substantialiter (ut sic dicam) & quasi essentialiter non spectando, agnoscantur veteres iustos, fuisse reipso Dei filios adoptivos.

De iustis reprobis, immeritò refragatus est Gabriel. Nam quamvis non sint ad gloriam perueniendi, tamen quantum est ex Deo, sunt ad illam ordinati; habentque verum ius ad eius adoptionem, quamdiu gratiam possident. Eoque iure, quantum ex Deo est, nunquam ex-

ciderent: iuxta illud S. Paulini epist. 4. [Quid miratur eum famulis suis indulisse sua nomina, quibus & patrem suum participat & regnum. Dedit enim potestatem recipientibus se, filios Dei fieri, & quantum in ipso est, omnibus dixit hominibus; *Dy estis & filij excelsi omnes*. Nos verò nostrarum crimine voluntatum, sicut homines morimur, & sicut vnus de principibus cadimus. Vnus enim principum Angelorum fuit, antequam deiiciendo eaderet Zabulus.] Itaque quamdiu reprobi gratia sanctificante potiuntur, sunt filij adoptivi.

Angeli, filij Dei, adoptivi.

806 Quod item ad Angelos attinet, quantum catenus Hebræorum i. negetur esse dictum alicui eorum, *filius meus es tu*, quia non sunt filij naturales; tamen indubitatum est, eos esse filios adoptivos. Vnde Sapientia l. 5. iusti in die extremo, *computandi dicuntur inter filios Dei*: hoc est Angelos. Et Iob 1. & 2. vocantur *filij Dei*. Audi Philippum Abbatem lib. 2. in Cant. cap. 21. [Non vult Christo Angelus, servus Domino coæquari, non ligno fructuoso silvarum infecunditas comparari: sed sicut malum constat inter ligna siluestria præpollere, sic novit Christum Angelus inter filios præminere. Denique & Angeli nonnunquam in Scripturis *filij* nominantur, qui semper Dei Patris videre faciem prædicantur: & iuxta Iob, filij Dei ut assistent Domino leguntur aduenisse, inter quos & nequam ille Angelus Sathan legitur affuisse. Moyses quoque; *Constituit*, (ait,) *terminos populorum, iuxta numerum filiorum Israël*; Filios Israël, Angelos appellans. Quod alia translatio evidentiùs insinuat, dicens; *Statuit terminos gentium, iuxta numerum Angelorum Dei*. Tot quippe à nonnullis Deus creditur saluandos ex Gentibus elegisse, quot inveniuntur Angeli aliis cadentibus remansisse: ut ad videndum eum tot ex hominibus ei filij præparentur, quot inter Angelos, iam videntes æque filij continentur. Inter hos autem filios, Delectus Sponsæ præeminet quasi malus, quia sicut puro in homine, sic etiam in Angelo non est salus.]

Dicuntur ergo Angeli, quandoque in sacris Scripturis, Dei, Filij, nempe adoptivi. Quod mirum latuisse Chrysostomum hom. 22. in Genes. negantem vsquam in Scriptura Angelos nomine *filiorum Dei* insigniri. Quamquam non malè Sixtus Senensis lib. 5. Bibl. c. 72. purgat Chrysostomum, ex eo quod loco citato ex Iobo; iuxta Septuaginta, quorum interpretatione Chrysostomus utebatur, non legatur *filij Dei*, sed *Angeli Dei*. Ea tamen lectio quam retuli in vulgata editione habetur. Itaque saluum nobis manet argumentum quod ex eo Iobi loco iuxta authenticam editionem conferimus. Quid quod Ephes. 3. *Æternus Pater*, dicitur *is ex quo omnis paternitas, in celo & in terra nominatur*. At ibi nomen *paternitatis*, idem sonat quod cognationem siue familiam. Vox enim Græca, quam ibi interpres vertit *paternitatem*, alibi vertitur per *cognationem*. Eademque vox Hebræa illa respondens *misgabai*, ut notat S. Hieron. Ephes. 3. ad vers. citatum, alibi vertitur per *cognationem*, aut *familiam*, siue *parentelam*. Psalm. 95. vulgatus idem expressit nomine *patria*, & S. Hieron. Num. 2. nomine *paternitatis*. Itaque sunt etiam

in cælo, æquæ ac in terra, cognationes & familie Angelorum, Deum agnoscunt Patrem: ac proinde Angeli rectè dicuntur adoptivi filij Dei, quod pluribus confirmat Gilbertus Schemichanius 4. de Trinitate cap. 3. videtur autem, fraternitatem hanc nostram cum Angelis, expressisse Nyssenus hom. 8. in Cant. accommodans Angelis illud, *cordificasti nos, soror nostra sponsa*, sic verò illud exponens; [Character impatibilitatis ei similiter illucescens atque Angelis, eam ducit ad cognationem & fraternitatem rerum incorporearum; ut qui in carne se ita gesserit, ut nullis afficeretur animi perturbationibus. Propterea dicunt ei; *cor indidisti nobis, soror nostra sponsa*. Propriè utroque nomine glorians. *Sororis* quidem *nostræ*, propter impatibilitatis cognationem: *sponsa* autem, propter cum Verbo coniunctionem.] At quis est character ille impatibilitatis, nisi sanctitas & gratia sanctificans, nobis communis cum sanctis Angelis? Sunt ergo Angeli per eam formam divinæ nobiscum confortes naturæ; atque adeo filij Dei, & fratres nostri.

Tacta obiter dignitas nostra, & piè vivendi necessitas, ex Dei filiatione, ex Christi fraternitate.

807 Sic constituta nostra adoptio, & divina filiatione, vivat ad tantam Dei in nos dignationem & Christi nos in fratres admittentis charitatem, stupore dissigi. Quantum enim est luto, euchi ad dignitatem divinæ filiationis, & Christi fraternitatem, quod nostrum unicuique benevolentissima Dei charitas & Christi in nos incensus amor concessit? Intelligere id possumus, ex ea dilecti discipuli exclamatione Epistolæ 1. cap. 3. *videte qualem charitatem dedidit nobis pater, ut filij Dei nominemur & simus*. summam hanc esse hominis excellentiam, quam qui introspexerit omnia humana nihili sit factururus, affirmat S. Cyprianus in calce operis de Spectac. Et gemina sunt illa Pelagij Epistola ad Demetriadem. Quid enim vetat, ex tribulis suis legere? [Magis illa nobilitate gloriaris, quæ filios Dei & cohæredes Christi facit: ad quam si semper inspicias, dum credis gaudium te habere quod maius est, desinis de eo quod minus est, gloriari.]

Instructos copioso Spiritus sancti lumine Apostolos, audientes à Christo mox recessuro, *ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum* subtilissime perspexisse huius adoptionis dignitatem, & à naturali filiatione distinctionem, affirmat his verbis Autor sermonis de Ascensione apud Cyprianum *sub initium*. [Hilarescebant animi eorum paternitatis divinæ illustrati honore, & fraternitatis Christi honorati consortio, cum audirent & crederent se filios Dei & fratres Christi, in quo omnis excellentiæ plenitudo & sufficientia inerat. Nec iam quasi idiotæ & hebetes huic verbo applaudebant carnaliter: sed subtilissimè, generationem & dignitatem creaturæ, à voluntate & nutu creatoris habuisse initium, & imaginem & similitudinem Dei in interiori homine, videbant. Et dignoscebant intellectu potius quam visu, quam affinitatem habeant inter se pater & filius, & quia substantivo & naturali filio, filij adoptivi

conformes, à prima origine multa habeant ex natura, & multa ex gratia. Sanè huius generositatis consortium, secundum quam simul cum Christo filij Dei sumus, nobilitatem existentie nostræ exponit & intimat: in quo honore si manserimus non degeneres, constat omnino non posse patrem dissidere à filiis, sed Dei formibus tutum esse ad paternitatem accessum: nec posse pati ad hereditatem possidendam dispositos in petitionibus divinis repulsum: sed in quibuscumque filius filialiter genitorem appellaverit, necesse est bonitatem largitoris, iusti supplicantis prosequi voluntatem: maxime cum ipse Pater qui largitur, ista suggerat per, quæ non differt benignè largiri. Et quidem paternæ charitatis bonis filiis & hæredibus maxime delectatur: & hoc gloriæ Christi vniuersi dilecti accumulatur, quod beatitudinis suæ non patitur esse solitariam magnitudinem, sed addit fratres, non qui minuant quasi diuisam in partes excellentiam, sed qui altitudinem diuitiarum eius, exornent participes & consortes.] Excursus etiam plenissimè in hoc decus, & quanta in illo piorum affectuum sementis fiat, cum erga Deum, tum erga proximos & nos ipsos, non indiligenter monstraturus. Sed quod id argumentum plenè prosequar in Tractatione de Cereæ Agno consecrato, cuius ritus institutio eò pertinet, non inuito hic diutius ei negotio.

Concluditur, Christum esse primogenitum, & cur in multis fratribus.

808 Declarata sufficienter videtur, nostra & Angelorum cum Christo fraternitas, & ad Deum analogicè communis filiatione. Inde perspicue habetur, Christum esse in multis fratribus primogenitum, quippe aliis fratribus, qui non nisi adoptivi filij sunt, tanto meliorem esse actum, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Itaque quamvis illorum fratrum bona pars, omnes nimirum sancti Angeli, & omnes anteriores Christo electi homines, sunt Christo priores ordine generationis, siue temporis, quo à communi Patre Deo, quique suo modo prodierunt, tamen Christus tanquam longè dignior & sublimior filius. per quem ad alios fraternitatis titulus dimanavit, (ut ex S. Cyrillo audisti, & fasè sumus prosecuti tractando titulum capitis Ecclesiæ, & electorum), meritisimè nominatur *primogenitus*.

Eodem sanè modò, Christus dictus est *primitia humanitatis*, quod egregie exposuit S. Chrysostomus, serm. 35. tom. 5. Græcol. Cum enim dixisset Christum oblatione suæ carnis tanquam primitiarum, sanctificasse naturam nostram vniuersam; obicit sibi Christum non videri primitias humani generis, sed Adami. Dissolvit autem eum nodum in hunc modum. [Non sunt primitiæ censendæ charissime, si primum fructum obtulerimus exilem & evanescentem, sed si probum atque perfectum offeramus. Quoniam igitur fructus ille peccato obnoxius erat, ideò non est oblatas, etiam si primus esset hic à peccato liber erat, ideòque oblatas est, licet posterius extiterit: Hæ enim sunt primitiæ. Et ut dicas, non primum germinantem fructum, *primitiæ* dici, sed bonum atque probatum generosum, & qui ad vigorem opportunum,

opportunitatem, perfectionemque perueniat, ex Scripturis sibi depromant testimonium. *Si ingressus fueris in terram promissionis, quam Dominus Deus tuus datus tibi.* (Moyses ad populum ait) *& plantaueris in ea omne lignum promissionis, faciens fructum ad vescendum, tribus annis non mundabis fructum eius. Quarto autem anno fructus eius, sanctus erit. Domino.* Atqui si essent primitiae, primus qui producitur fructus; cum qui primo anno nascebatur, offerri Domino oportebat. Nunc vero ait; *Tribus annis non mundabis fructum eius; sed relinques illum*, propterea quod euania adhuc & imbecilla est arbor, & fructus praecoces & immaturi. *Quarto autem annis, fructus eius sanctus erit Domino.* Et in hoc cerne sapientiam Legislatoris, qui illo velci non petiuit, ne ante Deum quicquam fructus sumeret; neque offerri illum mandauit, ne citius & immaturus offeratur Domino. Sed, *dimitte* (inquit), *quia primus est*: ne offeras autem, quoniam indignus est honore acceptantis. Vides ergo non primum fructum quia producit, sed bonum atque probatum, primitias dici. Itaque perspicuum inde est, cur Christus etiam multis hominibus tempore posterior, dici potuerit *humani generis primitia* & quod idem est, *primogenitus fratrum multorum*.

Dicitur porro Christus primogenitus in multis fratribus, non quasi vlli sint fratres, respectu quorum Christus non sit primogenitus; ita scilicet ut possideat tantum eam prerogatiuam respectu plurimorum, non tamen omnium: sed quia vere multi sunt, qui eo decore per Christum potiuntur. Quam multi enim, sancti Angeli? quam multi sancti homines, electi ex omnibus tribubus, & populis, & linguis? Praeter electos vero, quam multi reprobi, qui dum sunt in statu gratiae, sunt fratres Christi? Multi item iuxta Scripturam phrasim, non raro dicuntur *omnes*: ut liquet ex cap. 5. ad Rom. ubi Apostolus omnes homines in Adam mortuos docens, ait, *vnus delicto multi mortui sunt*. Et tamen mox, illos multos, vocat *omnes homines*. Ait enim; *Igitur sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnus iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae*. Sicut enim per inobedientiam vnus hominis, peccatores constituti sunt multi, ita & per vnus obedientiam, iusti constituentur multi. En aperte multos pro omnibus. Proindeque Christus est in multis fratribus primogenitus, id est inter omnes quibus decus diuinae adoptionis, & translationis illius filiationis atque adeo fraternitatis Christi obtigit: cuiusmodi sunt omnes fideles, aut qui nunc beati, alias fuere fideles: quod omnes & Christi fratres, & inter se inuicem ob nomen illum cum vno tertio fratre, dicere licet. *Fratres Amen*, (ut superius diximus,) appellat Apostolus. Neque vero appellatio *fratris*, restringenda est ad Monachos, ut monuit sanctus Chrysostomus 80. in Matth. ad illud, *quod vni ex minimis*. Rursusque hom. 25. in ad Hebr. ubi tractans illud ex 1. Corinth. 5. *si quis frater nominatur inter vos*, ita scribit: [Fratrem hic dicens, absolute quemuis fidelem, non eum qui est monachus. Nam quid est quod facit fraternitatem? Lauacrum generationis; posse Deum patrem vocare. Quamobrem Catechumenus quidem etiam si sit monachus, non est frater. Fi-

delis autem, etiam si mundanus sit, seu secularis, est frater. Si quis, (inquit,) frater nominatur. Nam nec vllum quidem tunc erat monachi vestigium: sed mundanis seu secularibus haec omnia docebat hic Beatus.] Haec Christianorum inter se fraternitas, ut alij tituli decissent, in fraternitate vniscuiusque eorum cum Christo, haec tenus exposita & stabilita radicatur.

Expositus S. Paulinus.

809 Non inficiatur hanc Christi nobiscum fraternitatem S. Paulinus Epist. 4. ubi aptans ad Christum parabolam vulnere quem praeterierat, ut ait, frater in Leuita, Pater in Sacerdote, sed non praeteriit ille Samaritanes qui propter nos, huius etiam nominis suscepit iniuriam; subdit post multa de hoc Samaritano seu de Christo. [Non ergo erat iste frater, qui & conditione Dominus à seruis, & natura Deus à mortalibus discrepabat: sed tamen & homo erat ille, de quo scriptum est; *& homo est, & quis cognoscat eum*: Neque ideo frater noster, quamquam & hoc diuina pietas pro humilitate cordis sui famulis nomen indulserit, dicens; *narrabo nomen tuum fratribus meis*: tamen nostra arrogantia non audendus dici frater; nec quia homo fieri dignatus est, quia & in ipso hominis ortu nihil haber commune nobiscum, qui citra nostrae generationis usum, caro factus de Spiritu sancto, intemerata sacrae matris Virginitate & conceptus & natus est, & ideo sine villo corporis nostri contagio, corpus nostrum effectus, non dedit Deo placationem suam, quia ipse propitiatio erat: nec pretio redemptionis animae suae, sed nostrae, quia non egebat salute Saluator. Nos enim venditi sub peccato, egebamus pretio redemptionis: & ideo propter nos homo, propter nos forma serui, propter nos filius ancillae, qui benedictus & sanctificator sanctorum, pro nobis tamen & peccatum, & maledictum factus est, quod non erat, ut nos qui ex prauaricatione peccatum, & ex damnatione maledictum eramus, ab utroque absolueret, utrumque in sua carne affligens cruci. Ideo dictum puto: *frater non redimit, redimet homo*: quia quos frater non redimerat, hoc est, Propheta seu Legislator, qui homo tantum erat; hos homo redemit, qui & Deus erat.] Vides, ut aiebam, hunc S. Paulini locum non spectare ad abrogandam fraternitatem Christi nobiscum; sed ad expressionem humilitatis sancti viri, qui pro sua demissione, non sustinebat audire Christi fratrem: quamuis id verè dici, satis insinuet, eum refert ita loquentem in Scriptura Spiritum sanctum.

Christum esse fratrum Primogenitum, idem quod esse primogenitum omnis creaturae.

Hoc ipsum porro quod Christus, *Primogenitus in multis fratribus* dicitur, recidere in illum alium titulum, quo *Primogenitus omnis creatura* denominatur, egregie in hunc modum ostendit Nyssen Orat. 3. (verius quarta) contra Eunomium. Sic enim habet, postquam praemissit, quorsum Christus absolute *Primogenitus*, & alibi *Primogenitus, ex mortuis*, est nominatus. [In fratribus rursus primogenitus factus, qui nouo

nouo generationis partu prior genitus est in aqua cuius partum columbae volatus obstetricatus est. Per quem eos qui cum ipso similis generationis particeps sunt, sibi fratres asciscit, & primogenitus efficitur eorum qui post ipsum ex aqua & Spiritu regenerantur. Et ut summam dicam, cum sint tres in nobis generationes, quibus viuificatur humana natura, una è corpore, altera secundum generationis mysterium, tertia per speratam ex mortuis denuo resurrectionem. In his tribus primogenitus dicitur. Duplex quidem cum sit regeneratio, quae per utrumque efficitur, & per baptismum & per resurrectionem; ipse factus dux & princeps secundum utramque. In carne autem primogenitus fit, primus & solus ignotum natura partum in seipso per Virginem nouum molitus, cuius nullus in tot hominum generationibus auctor existit. Si hæc secundum rationem intellecta fuerint, neque creaturae significatum, cuius primogenitus est, ignorabitur. Duplicem enim nostrae naturae creationem cognouimus; primam, secundum quam formati sumus: & secundam per quam reformati fuimus: sed non opus esset secunda creatione, nisi primam per prauitatem inutilem reddidissimus. Illa igitur inueterata & obsoleta & euania, nouam, nouam in Christo fieri creaturam erat necesse, sicut ait Apostolus, nihil amplius veterum in secundam creaturam censet inueniri: Exuentes, (inquiens,) *veterem hominem cum actibus & cupiditatibus eius: induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est.* Et si qua in Christo, (inquirit,) *noua creatura; vetera praeierunt; Ecce noua facta sunt.* Vnus enim & idem humanae naturae factor, qui fecit & quod ab initio, & quod postea factum est: tunc ex puluere accepto hominem finxit: rursus puluere ex Virgine sumpto, non simpliciter hominem formauit, sed sibi ipsi affinxit. Tunc creauit, postea creatus est: tunc Verbum carnem fecit, postea verò Verbum caro factum est, ut carnem nostram ad Spiritum converteret, quia sit nobiscum particeps factus carnis & sanguinis. Huius igitur nouae in Christo creaturae, cuius ipse dux fuit, primogenitus est vocatus, omnium factus primitia, & eorum qui ad vitam generantur, & eorum qui per resurrectionem ex mortuis viuificantur, ut mortuis & viuis dominetur, atque ut totam per primitias in seipso sanctificet cōspersionē. Hactenus Nyssēque video in verbis propositis, durissimum quid immiscuisse de Christi per aquam regeneratione, ei respondente qua nos in Baptismo renascimur. Locum mollior ea Tractatione cui titulus est, *Christianus Patrie Christi, & matris Ecclesiae per Baptismum Filius, Cerei Agni à Christi Vicario consecrati, Symbolica imagine expressus.* Ibi cap. 5. Geminum Nyssēni locum ex libro de Perfectione ad Olympium, versans; istum quoque simul enodo.

*Vsus doctrinae, de Christi fratris nostri
expressione; Dei inde amore,
& nostra in eum
gratitudine.*

810 Claudet hanc de Christo Primogenito in multis fratribus disputationem vsus doctrinae, cuius initium faciet insigne Nyssēni moni-

tum lib. de perfecta Christiani forma, his verbis. [Rubem eorum; qui post se geniti sunt fratres primogenitus fuit; cognitionem autem, qua cum ipso coniuncti erat, signum quoque in eis perspicuum primogenito simile testatur, ut fraterna sanguinis coniunctio, formae similitudine declarata, ignorari non posset. Quapropter si nos item eodem modo per regenerationem aquae & spiritus Domini fratres geniti sumus, qui propter nos factus est primogenitus in multis fratribus, æquum est. Ut vitæ signis nostram cum ipso necessitudinem ostendamus: vitæ enim nostrae, formam inpressit primogenitus creaturae. Quae autem sit eius formae nota, ex Scriptura saepe commemorauimus. Qui peccatum (inquirit,) non fecit, nec inuentus est datus in ore eius. Proinde utrum illius qui generatione praecessit, appellari fratres debeamus, innocentia vitæ testimonium dabit, si nulla macula à puritatis coniunctione nos separauerit. Patre iustitia est primogenitus, & sanctificatio, & charitatis, & redemptio, & alia eiusmodi, quibus si vita item nostra fuerit insignita, adeo præclara præbebitur nostrae nobilitatis indicia, ut qui illa conspexerint in nostra vita, ipsi quoque nos Christi fratres esse, sunt testes futuri.] Et sub finem orationis primae de Resurrectione, tractans mulierum nuncium ad Apostolos, adicit fratres Christi; [O nuncium præclarum & bonum! Qui pro nobis factus est homo, is cum sit vnigenitus quos nos fratres efficiat suos, se hominem ad verum Patrem adducit, ut per se ipsum cognatos secum trahat, ne possit illis amplius obici, quod eas, qui natura Diu non sunt adorauerint. Etenim cum ad viuendum & verum Deum adorandum reuocati sint ab hereditate paterna, tanquam reiecti reprobatique, non possunt excludi, quoniam filium verum ipsi per adoptionem filij secuti sunt. Qui multis in fratribus, primogenitum creaturae se per carnem efficiens, omnem naturam humanam, cuius particeps esse voluit, assumptæ carnis necessitudine sibi coniunxit.]

Nec minus lapida illa Galsitidis glossans verba illi Christi rediit, *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum*, quorum cum esse sensum arbitrat, ac si dixisset, [Vel nunc cognoscat eum qui licet repudiatus & relictus tempore passionis, non diffidet aut abiicit eos in die gloriae & honoris neque vlla iam claudicat ex parte fraternitatis. Qui enim pro eis ex homine matre sum genitus, etiam eos in adoptione Dei Patris admisi. Pater meus, pater eorum; Deus meus, Deus eorum est. Et quamuis ad distinctionem referatur quod dicitur, *Patrem meum, & Patrem vestrum*, (aliter enim & aliter est pater eius & noster;) in istis tamen verbis intelligi potest forsitan non ea sola discretio, sed certius exprimens, & aliud cordi imprimens inculcatio. Alioqui si *Patrem meum* dixisset, minus adhuc propter se dictum, pusillanimitas humane praesumeret. Nunc autem quibus nobis gratulandum vocibus, quibus est gaudiis exultandum quod carnem nostram sibi induit, qui suam nobis spiritum collaturus aduenit, & filius fieri Virginis dignatus est, qui nos Filios Dei Patris efficeret? Felix cognatio, mira communio, mira utrinque dignatio, & seipsum ad nos inclinanti, & eleuantis nos ad seipsum. Secundum cat-

nem factus est frater noster, vt nos secundum Spiritum faceret fratres suos.]

Suspiciebat & merito ex hoc capite, Christi benignitatem S. Chrysostomus hom. in illud. 1. Cor. nolo vos ignorare fratres, indeque nostram erga proximum benignitatem sollicitabat, quod Christus homines tanto se inferiores dignatus sit ad aliquam secum aequalitatem fraterno nomine expressam prouehere: Et suspicit ille quidem maximique facit quod Paulus vir tantus non esset dedignatus Corinthios nominare fratres. Sed quid Paulus ad Christum. [Quid mirum (inquit Chrysostomus,) si Paulus conseruus sic vocauit eum & Dominus ipse sic vocarit, nostram naturam dicens, *annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiae laudabo re.* Non solum autem vocauit nos fratres, sed & ipse fieri frater voluit, & factus est humana carne induta, naturae particeps; quae utique & ipse Paulus admirans dicebat. *Non Angelos apprehendit Deus, sed semen Abrahae apprehendit, unde per omnia debuit fratribus assimilari.* Et iterum. *Quia pueros participes fecit carnis & sanguinis, & ipse similiter horum fuit particeps.* Hæc omnia cum audimus, omnem arrogantiam & fastum & stultitiam ex anima nostra expellamus, studioque multo id rectè faciamus, familiaribus nominibus, & honorem habentibus, fratres vocantes.]

Amor Dei, quam hinc succendi in nobis debeat, bene Gisbertus cap. 20. Altercat. [Quotquot (inquit) receperunt eum, dedit ei potestatem Filios Dei fieri. Quomodo? Fonte baptismatis & Spiritu sancto; Qui enim Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt, qui non acceperunt Spiritum seruitutis in timore, sed adoptionis Spiritum in quo clamamus Abba Pater: qui per fidei Sacramentum, & donum gratiae, iam filij Dei sumus, & nondum apparuit quid eximus. Quid ergo tantæ gratiæ rependimus, nisi vt pro hereditate æterna, Clementissimo Patri in dilectione seruiamus vt filij, non sub lege, vt serui. O super omnia Prophetarum oracula pactio vitæ aduertenda, id est filios Dei fieri, affectus Christi? Natura quidem humana Patres & Filios rationabili lege trahit & impellit ad vnitatem, quanto magis hos filios gratia singularis prouocat ad tanti Patris amorem, cuius sola dilectio, sanctæ generationis est occasio?]

Infertur Deiparam esse omnium nostrum matrem.

811 Ex hac doctrina de Christo fratre nostro, Autor sermonis noui de Purificat. Deiparae Ambrosio adscripti, (extat in fine Tomi 5.) pie admodum colligit, Beatam Virginem, esse matrem filiorum Dei adoptiuorum Sic enim de Deipara loquitur. [Omnes filios deputat, quos diuina gratia Christo sociat. Quomodo non ipsa mater electorum, quæ fratrem genuit eorum? si inquam Christus credentium frater, cur non ipsa quæ Christum genuit, sit credentium mater?] Agnoscent hoc ipsum alij Patres, quorum nonnullos produco. Origenes præfatione in Ioan. [Si nullus est Mariæ filius, iudicio eorum, qui de ipsa sanè senserunt præterquam Iesus: dixitque Iesus Matri; *Mulier ecce filius, & non, ecce etiam hic, est filius tuus: perinde*

Theoph. Raynaud de Attrib. Christi.

est ac se dixisset, *ecce hic est Iesus quem genuisti.* Etenim quisquis perfectus est, non amplius uiuit ipse, sed in ipso uiuit Christus. Cum in ipso uiuat Christus, dicitur de eo Mariæ; *Ecce filius tuus (Christus).*

S. Augustinus lib. de sancta Virginitate cap. 6. [Illa vna femina Beata Maria, non solum Spiritu, verum etiam corpore, & mater est & virgo: Et mater quidem Spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Saluator, ex quo illa magis spiritaliter nata est, quia omnes qui in eum crediderint, in quibus & ipsa est, rectè filij sponte appellantur: sed planè mater membrorum eius, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, vt fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt: corpore verò, mater ipsius capitis.]

Tradit idipsum Rupertus lib. 13. in Ioan. ad illa verba capitis 19. *Mulier ecce filius tuus.* Ex quorum verborum occasione, ac vt filiationem istam exprimeret, pius Theologus Robertus De Abruscellis, vt est apud Baronium anno 1117. Monasterium Fontis Ebraldi fundauit in quo spirituales religionum matres, sunt feminae. Subiungit enim Abbatissa religiosi, feminae viri. Monasterium est hodièque celeberrimum, & tanta iam olim fecunditate nobile, vt scribat ad Eugenium Papam Suggestus Abbas, in eo Monasterio, annis ab eius ortu minus quam 50. vilas abs se Virgines ad quinque milia: Refert Epistolam Sirmondus ad lib. 4. Goffridi Vindoc. Epist. 32. Hæc obiter, occasione maternitatis Deiparae in nos omnes, tanquam eius spirituales filios, ex Ruperto posita, verbis illis quæ huic Monasterio initium dederunt.

Idem habet (& fusè quidem,) Guericus serm. 1. de Assumptione vbi de Eua, Nouerca nostra, & Maria vera viucentium matre, sic Philosophatur. [Vt sea virgo mater, quæ se Patris vnicum genuit, gloriatur, eundem vnicum suum in omnibus membris eius amplectitur, omniumque in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formati cognoscit, matrem se vocati non confunditur. Eua vetus illa, non tam mater, quam Nouerca, quæ filiis ante propinauit præiudicium mortis, quam initium lucis; dicta est quidem mater cunctorum viucentium, sed inuenta est verius interfectrix viucentium, seu genitrix morientium, cum suum generare nihil aliud sit, quam mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, ista impleuit mysterium, quæ & ipsa sunt Ecclesia cuius forma est, mater est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est vitæ, qua viuunt vniuersi; quam dum ex se genuit, nimirum omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodò regenerauit. Vnus generabatur, sed non omnes regenerabamur: quia videlicet secundum rationem seminis, quo regeneratio fit, iam tunc in illo omnes eramus.]

812 Sed plenè & egregie idem tradit Richardus à sancto Laurentio lib. 6. de laudibus Deiparae. Adscribo nonnulla. [Maria etiam si carnaliter genuit vnicum filium, in eo tamen spiritualiter mater effecta est magnæ multitudinis filiorum, quorum primogenitus Christus Romanorum 8. Vnde significanter dictum est Luc. 2. *Peperit filium suum primogenitum.* Ipsa est enim Anna, quæ prius sterilis quoad propo-

FFF

stitutum

grum virginis, peperit hoc modo plurimos. Idè dicitur Eccl. 36. *Israel*, idest, fidelis populus Deum contemplans, *quem coagnasti*, idest, per fidem vniisti, vel coheredem fecisti *primogenito tuo*, idest, Christo qui est *primogenitus mortuorum*, idest, Resurrectio, & *Princeps Regum terræ*. Apoc. 1. Sicut enim *Eua* dicta est mater omnium viuientium vita naturæ, Gen. 3. Sic Maria mater omnium viuientium, vita gratiæ. *Eua* enim interpretatur *vita* aut *mater viuientium*. Ipsa etiam propter hoc figurata est per Saram; quæ licet non nisi vnicum filium carnaliter peperit Abraham, cui dixit Dominus Genesis 21. *In Isaac vocabitur tibi semen*; tamen mater dicta est totius populi Israelitici. Vnde Isaia 55. dicitur Iudæis, *Attendite ad Abraham patrem vestrum & ad Saram quam peperit vos*.] Alia latè pro eo Deiparæ titulo *mater viuientium omnium*, addensat Benzoni in Psal. 86. cap. 27.

Ex his omnibus colligere obiter licet, filialem fiduciam & affectum, quo quilibet pius flagare debet. ga Deiparam omnium in Christo viuientium matrem, & primogeniti fratrum parentem. Confirmo veritatem propositam, & fructum hunc ex ea eruo verbis S. Anselmi lib. de quatuor virtutibus Beatæ Mariæ cap. 8. *in fine libri*. [Ascendat ergo fidelis anima in mentis speculam, & quantum potest videat in quàm sublimi locata sit Domina Maria. Omnis natura à Deo est facta, & Deus est factus ex Ma-

ria. Deus omnium factor, se ex Maria fieri voluit & sic cuncta resecit. Qui potuit omnia ex nihilo facere, noluit ea violata sine Maria recedere. Deus est igitur pater rerum creatarum, & Maria est mater rerum recreatarum. Deus illum genuit, per quem sunt omnia facta, & Maria illum genuit per quem sunt omnia resecata & saluata. Per has ergo ratiocinationes, impossibile est vt aliquis homo ad eam conuerteretur, & ab ea respectus damnetur. Nam quia ipsa genuit eum per quem mortua reuiuiscunt, per quem homines ex peccato saluantur, quia non est iustificatio nisi quam ipsa in vtero fouit, non est salus nisi quam ipsa peperit. Ipsa est ergo mater iustificantis, & iustificatorum; ipsa est mater saluantis, & saluatorum. Igitur mater Dei qui solus damnat, qui solus saluat, quem solum timemus, in quo solo speramus, est mater nostra. Iudex & Saluator nollet, est frater noster. Quomoddò ergo desperemus, cum salus siue damnatio nostra ex boni fratris, & pie matris, pendeat arbitrio? Nunquid sustinebit bonus frater, puniri frater, suos quos redemit; bona mater damnari filios suos, quorum ipsa redemptorem genuit. Dulcis mater rogabit dilectum filium suum, piæ fratrem nostrum; filium pro filiis, vniuentum pro adoptatis. Pius filius libenter audiet matrem pro filiis; vniuentus pro iis quos adoptauit; Dominus pro iis quos adoptauit.]

